

re teneretur, Concilio Cæsaraugustano II. anni 392. can. 2. Verùm hæc uti erat disciplina quarundam Ecclesiarum singularis, nec satis laudanda, ita ab usu recentioribus sæculis ubique exolevit; hodieque probationibus ordinariis fit locus, & tùm demùm cultus decernitur, cùm sunt argumenta saltem moraliter certa. Recognitis sanctorum, Beatorumve reliquiis statim debitus cultus iis est exhibendus, servato modo cultus debiti Sanctis, & cultus debiti Beatis; id est ita, ut Sanctorum reliquiæ ubique statutis rationibus venerabiles habeantur, Beatorum autem juxta modum in decreto Beatificationis expressum, qui sanè non est excedendus, atque ubi decretum non adpareret, juxta modum, quem fert vetus consuetudo. Porrò si reliquiæ sint insignes, vel integram partem præferant, in qua passus est martyr, debent in Ecclesia adservari, nec licet privatis eas extra Ecclesias custodire, nisi agatur de magnis Principibus, aut majoribus Ecclesiæ Prælatibus; minus insignes apud privatos pietatis causa adversari permissum est. Quòd si constet reliquiis verè esse Sancti alicujus, vel Beati, non tamen sciatur Sancti, Beativæ nomen, ac patria, atque universæ in specie qualitates, jamdiu obtinuit, ut certum nomen Sancto, Beatove imponeretur, quos vulgò appellant *Sanctos baptizatos*. Nemo in hac re de mendacio Ecclesiam incuset; etenim ad mendacii cujuscumque vel levissimam suspicionem avertendam, consuevit Ecclesia Beatos hujus generis non singulari nomine donare, sed nomine, uti loquuntur Grammatici, appellativo. Sic olim dicti fuerunt Sancti quatuor *Coronati*, quorum nomen proprium ignorabatur; sic Sanctus

Adolfus dictus est, qui Felicem martyrem secutus est spontè, & in martyrio accessit. Sic etiam hodie aut Latinis, aut Græcis appellativis nominibus utimur, ad distinguendos veteres Sanctos, veluti cùm illos, Justum, Felicem, Pium, Fortunatum, Victorem, Theodorum, Theophylum nominamus. Quod denique spectat ad translationem reliquiarum, sunt qui putant, insignes Sanctorum reliquias in una Ecclesia semel collocatas, ne Episcopi quidem auctoritate posse ne donationis quidem causa extra illam Ecclesiam adportari, & aliò trasferri, quasi id vetitum sit in extravag. un. de reb. Eccles. non alien. int. com.; ideoque Episcopus id facientes pœnis in eadem extravagante expressis subjacere. Paulò aliter desinire solent prudentissimi viri, quorum judicio improbandum quidem Episcopi factum reliquias de una in alteram Ecclesiam transferentis, non enim tantis pignioribus, ac monumentis locupletatæ, ornatæque Ecclesiæ spoliandæ sunt; ceterùm non damnaretur Episcopus, nisi extraordinariis pœnis judicio superioris definiendis, non pœnis laudatæ extravagantis, utpotè quæ ad hanc alienationis speciem nullo modo pertinere videtur. De reliquiis, quæ in Ecclesiis non custodiuntur, sed privatorum devotioni concessæ à singulis fidelibus detinentur, libertas unicuique inest, ut in quoscumque transferri à detinentibus possint, dummodò à venditione, aut quocumque commercii, & quæstus genere abstinèatur, quemadmodum apertè sacris canonibus definitum est, cap. 2. de reliq. & vener. Sanctor. & jam veteres constituerant religiosi Imperatores in l. 3. cod. de sacrosanctis Ecclesiis.

CAPUT IV.

De spreto cultu Sacramentorum.

Mens mihi non est in hoc capite singula persequi, quibus potest in Sacramentis seu conferendis, seu suscipiendis peccari. Tantùm singularia

quædam, expendam quæ in subjectis Decretalium titulis improbantur, atque damnantur.

AD TITULOS

De Sacramentis non iterandis. lib. 1. tit. 16.

De reiterantibus Baptisma. lib. 5. tit. 9.

De Presbytero non baptizato. lib. 3. tit. 43.

Jamdium definitum ab Ecclesia fuit, Sacramenta, quæ characterem imprimunt, Baptismum, Confirmationem & Ordinationem iterari non posse. De Baptismate quidem antiquissimæ fuerunt, in Africana Ecclesia concertationes, non quòd aliqui crederent, baptismum semel ritè collatum iterari posse, aut debere, sed potius quòd crederent, fidem in baptizante requiri, seu baptizatum ab hæretico verè baptizatum dici non posse. Verùm & hæc opinio, quæ sanctos cæteroqui viros aliquando patronos habuit, fuit dein de ab Ecclesia damnata, quum cautum est, baptismum valere, quoties aqua ablutus Evangelicis verbis regeneratur ministerio ejus, qui intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, quisquis ille sit, qui baptizat, seu impius, seu hæreticus, seu Paganus. Hinc jure optimo sacrilegi dicti fuerunt, qui aliquem ausi fuerint rebaptizare, aut qui se rebaptizari permiserint, can. 35. caus. 23. quæst. 5., pœnæque gravissimæ in rebaptizatos inflictæ, qualis est in Clericos depositionis à gradu, & generaliter in omnes pœna irregularitatis sine spe indulgentiæ, ac dispensationis, can. 65. dist. 50. can. 3. dist. 98., can. 10. & 21. in fine caus. 1. quæst. 7., quamquam aliquando in crimine occulto, & cum eo,

quem excusabat ætas, atque intentio fraternæ salutis, mihi actum fuerit, quemadmodam in specie capituli 2. de apostatis quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in infante, aut ignorante adulto, in quibus licet rebaptizatio culpæ adscribi non possit, impedimento tamen est, ne ad ecclesiasticos ordines ascendant, nisi ex Ecclesiæ dispensatione indulgentia fiat necessitate emergente, can. 117. & 118. de cons. dist. 4. Neque obstant canones 3. & 4. caus. 1. quæst. 4., utpotè qui non de rebaptizatis, sed de iis, qui apud Donatistas baptismum perceperant, sunt intelligendi. Religiosi quoque Imperatores adversus rebaptizantes statuerunt, ut infames fierent, atque ultimo supplicio percellerentur. Infamiæ notam inustam fuisse, liquet ex l. 3. cod. de apostatis. At de ultimi supplicii pœna perspicua quidem videtur esse lex Honorii, & Theodosii, qualis habetur in l. 2. cod. ne sanctum baptisma iteretur, his verba concepta: *Si quis rebaptizare quemquam de ministris Catholicae sedis fuerit detectus, unà cum eo, qui piaculare crimen commissit (si tamen criminis per atatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur; verùm si verba hujus legis exigantur ad fidem Theodosiani codicis, seu ad legem*

gem 6. cod. Theodos. eod. tit., forte nonnulla agnoscentur, ex quibus non satis constet, an poena adco severa adversus rebaptizantes ab Honorio, & Theodosio indicta fuisset. Verba ejus legis hæc sunt: Nullus rebaptizandi scelus arripiat, nec eos, qui Orthodoxorum ritum suscipiunt, cano profanarum religionum, hæreticorumque sordibus palliare maliat. Quod licet fidem meum severissimam interminationis à nullo penitus, ex quo interdictum est, fuisse commissum, tamen ut prava mentis homines ab illicitis temperent, vel coacti, volumus renovari ut si quis rebaptizasse, ex quo lex lata est, quemquam de mysteriis catholica sancta fuerit detectus, undè cum eo, qui piaculare crimen commisit, si tamen criminis per eam rem capax sit, cui persuasum sit, statui prioris supplicio percellatur. In conspectu hujus legis adparet, constitutionem ipsam latam esse non contra ministros Catholicos, qui aliquem rebaptizarent, sed contra hæreticos, forte Eunomianos, aut Donatistas, qui Catholicum, & à Catholicis baptizatum rebaptizavissent, ut indicant priora legis verba & suadent verba illa sequentia quemquam de mysteriis Catholica sancta. Pro quibus perperam in codice Justiniano legitur, quemquam de ministris Catholica sancta. Deinde adparet, non ultimo supplicio percelli rebaptizantes, uti legitur in codice Justiniano, sed percelli statui prioris supplicio, cujus nomine venire non potest poena mortis, neque enim talis poena in aliis prioribus Imperatorum statutis indicta deprehenditur, sed potius poena publicationis honorum, quemadmodum habetur in l. 4. & 5. cod. Theodos. ne sanctum baptisma iteretur. Quidquid tamen sit de hac Theodosiana lege, si ad sua autographa exigatur, postquam tamen generalis adparuit, & veluti de omnibus rebaptizantibus, & rebaptizatis scripta, item postquam adparuit indicare poenam ultimi supplicii in codice Justiniano, ex ejusdem codicis Justiniani auctoritate visa fuit, uti scripta ibidem est, executioni mandanda. Cæterum hæc ipsa juris disci-

plina hodie apud plures dicitur tantum recepta, ut locum habeat adversus judæos, qui quæstus causa in pluribus Ecclesiis iterum conversionem fingentes baptizari se postulant; quod præter leges ipsas Imperiales positum est, & in una tribunalium consuetudine fundamentum habere cepit, & causas. At verò poenæ istæ asperissima, seu ecclesiastici, seu civiles, meo judicio locum non habent in specie iterati Sacramenti Confirmationis, aut Ordinis, seu quòd in laudatis constitutionibus tantum iterati Baptismatis, non Confirmationis non Ordinis mentio fiat; seu quòd gravissimis eidem poenis occasionem dederit detestabilis singularis abusus, qui in iterando baptismate irrepererat, argumento l. 1. & sequentium cod. ne sanctum baptisma iteretur; quin negotium facessat can. 8. de consecr. distict. 5., etenim in Concilio Cabilonensi II., ex cujus canone 27. ea verba de prompta sunt, desiderantur ea, quæ apud Gratianum exhibentur à versiculo *Quia bis* usque ad finem.

Non tamen censetur iteratum baptisma quoties deprehendatur collatum ei, de quo dubitatur, an fuerit baptizatus, can. 110. & sequentibus de consecr. dist. 4. Qua in re ad avertendum prave cujuscumque rebaptizationis periculum cautum est, ut in proposita specie baptisma sub conditione conferatur, cap. 2. de baptismo. Quid verò est, quod legitur in canone 59. caus. 1. quæst. 1. 2. ibi: *Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debet ab eo baptizari iterum baptizari, & ipse ulterius non ordinatur. Sed Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizatur, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit, qui baptizatur.* Difficultatem auget, quod olim ante Romanam correctionem legebatur apud Gratianum in canone 30. subsequente his verbis: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizavit; quamquam hodie postrema ista verba & omnes, quos prius*

prius baptizavit expuncta fuerint opera Correctorum Romanorum, quemadmodum etiam omnia fuerunt apud Gregorium IX. in cap. 1. de Presbyt. non baptiz. Duo sunt in conspectu horum monumentorum observatione digna. Primum est quod dicitur, Presbyterum necdum baptizatum esse iterum post susceptum baptismata ordinandum; & quidem rectè, proptereaquod irrita omnino fuerit non baptizati ordinatio; de qua re licet visus fuerit dubitare Innocentius III., aut quicumque ex mandato Innocentii III. rescripta ejusdem Pontificis digerebat in cap. 3. de Presbyt. non baptiz., tamen conclusus in fine, iterandam esse ordinationem. Alterum est, quod dicitur, baptizatos à Presbytero non baptizato fuisse rebaptizandos. Non est consistendum nobis in codice Gratiani, sed ad antiquiores collectores; quos Gratianus sequebatur, respiciendum. Ivo Carnotensis laudat dictum canonem 59. quasi depromptum ex dictis Isidori Episcopi, quæ sanè inscriptio designat, non Isidorum auctorem canonis esse, sed in canonem aliqua ex Isidoro derivata fuisse. In quodam Panormie MS. Regii Taurinensis Athenæi hæc habetur inscriptio: *Augustinus ad Fortunatum, ex dictis Isidori Episcopi, & ad marginem alio charactere: Ex dictis Isidori Episcopi.* Hinc facile colligo auctorem canonis eam composuisse sententiam, qualis recentioribus sæculis obtinuit, eandemque ita compositam veteribus Patribus Augustino & Isidoro tribuisse, quod apud Augustinum & Isidorum nonnulla inveniretur, ex quibus ea disciplina Ecclesiæ stabiliretur, can. 19. 21. & 36. de cons. dist. 1. Quod ut clarius expendatur, observandum est, veterem controversiam de recipiendo, vel non recipiendo hæreticorum baptismate jam fuisse tertio sæculo definitam. Nùm verò & ita tanquam verè baptizati haberentur, qui à non baptizatis baptizati fuissent, perspicuè nondum fuerat declaratum, argumento canonis 31. de cons. dist. 4. Recentioribus sæculis, prout res

incideret, singularibus Pontificum Maximorum rescriptis definiti controversia cepit, lib. 5. Capitularium Francorum cap. 6., can. 24. de cons. dist. 4. & in ea definienda idem Pontifices usi fuerunt de more monumentis veterum Patrum, præ cæteris Augustini, & Isidori, apud quos non uno in loco sermo ea de re institutus fuerat sub quadam dubitatione, quam deinde Pontifices Maximi submoverunt. Itaque in principio illius canonis exhibetur dubia mens Augustini & Isidori; in fine verò explicata germana Ecclesiæ sententia, quam definitur, non esse baptizandos eos, quos Sacerdos non baptizatus baptizavisset, can. 23. de cons. dist. 4. Quòd si aliqua subjicienda sunt de canone 60. caus. 1. quæst. 1., prout in veteribus Gratiani codicibus legebatur, item prout legitur apud Burchardum lib. 4. cap. 74. & apud Ivonem parte 1. cap. 268., notandum est in primis, falsè Burchardum primum, deinde Ivonem adscriptisse canonem Compendiensi Concilio; imò & auctoritate ejus canonis jam apud veteres dubitandum est; unde apud Ivonem ad marginem ejusdem capituli in editione Frontonis hæc adjecta fuerunt: *Ad marginem codicis Regii vetustissima littera adscribitur, hic dubitatur.* Hinc & in prima collectione Decretalium, & apud Gregorium IX. in dicto cap. 1. de Presbyt. non baptiz. omnia fuerunt verba illa, & omnes, quos prius baptizavit. Ut verum fatear, canon iste derivatus videtur ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis. Observo autem in primis, Theodorum Cantuariensem vixisse eo tempore, quo nondum omnino definita fuerat controversia illa, an baptizatus diceretur, qui à non baptizato Sacramentum baptismatis suscepisset; ac propterea debuisse eum canonem in recentioribus collectionibus post definitionem controversiæ reformari: deinde observo, adhuc tentari posse, Theodorum non sermonem instituisse de iterando baptismatis Sacramentum, sed potius de iterandis baptis-

matis ceremoniis, quas ritè implere non poterat necdum baptizatus. Id facillè suadet scopus Theodori, qui agebat in penitentiali suo non de Sacramento baptismatis, sed de rationi satisfaciendi Deo per penitentiam; nemo autem ignorat, cathecumenos ante susceptum baptismum variis expiationibus eo tempore consuevisse purgari. Id præterea suadet contextus verborum; nam in cap. 2. Penitentialis apud Petrum ita legitur: *Presbyter fornicans, si postquam compertus fuerit, baptizaverit, iterum baptizentur illi, quos baptizavit. Si quis Presbyter ordinatus deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur & ordinetur iterum, & omnes quos prius bap-*

zavit. Ex his liquet, Theodorum æquè voluisse baptizandos esse eos, qui à non baptizato, ac qui à peccatore baptizati fuissent. At aliter non possumus intelligere Theodorum de baptizatis à publico peccatore, quam ut crederet, esse illos novis ceremoniis expiandos, ne videatur Theodorus lapsus in hæresim jamdiu damnatam occasione Donatistarum; & Anabaptistarum. Igitur eodem modo commodè Theodorum interpretabimur, ubi sermonem instituit de baptizatis à non baptizato. Qui plura desiderat, ea inveniet in meis adnotationibus in Gratianum ad laudatos canones §9. & 60. caus. 1. quæst. 1.

AD TITULOS

De Celebratione Missarum. lib. 3. tit. 41.

De Custodia Eucharistiæ. lib. 3. tit. 44.

IN SACROSANCTO Eucharistiæ Sacramento duo singularia deprehendimus. Primum est, quod cæteris Sacramentis præstet dignitate sua, quum non solum gratiam in suscipientibus augeat, sed etiam in se contineat ipsum gratiæ auctorem Christum Dominum sub speciebus panis & vini. Alterum est, quod non in solo usu, ut cætera Sacramenta, consistat, sed permaneat etiam ad fidelium cultum. Ex utroque profectum est, ut certæ singulares regulæ definiuntur, quibus maximo cum decore conficeretur, administraretur, custodiretur. Non ego persequor hoc in loco, quæ passim unusquisque in manualibus Ecclesiarum inveniet: tantum nonnulla attingam quæ in sacris canonibus exhibentur.

Prima observatio respicit loca, in quibus Sacra Eucharistia sit conficienda. Et quidem in primis absit à viro religioso, ut quorundam malefactorum hominum dictis, ne convicia dicam, subscribat, qui tradiderunt, Deum locis singularibus ad sacra peragenda designatis minimè delectari, atque ubicumque ritè

offerri Sacrificia; quando scimus, erecta in vetere lege ad id fuisse publica templa, celebratas etiam à Christo Domino solennes dedicationes, sive Encania sacra, imò & ipsas gentes id in more habuisse, ut cultum suum Deo constructis ad id publicis, & à profano usu secretis ædibus testarentur. Id magis magisque postulavit sacræ Eucharistiæ dignitas, in qua cum ipsemet Christus Dominus & Sacerdos, & hostia sit, curandum maximo perè est, ut omnia nitidius, & quoad fieri possit elegantius perficiantur. Et quamquam identidem, quum Christiana religio æthnicorum vexationibus subjaceret, à templorum magnificentia cessatum est, ubi tamen Ecclesia constanti pace potiri cœpit, & cautum generaliter fuit, & perenni neque interrupta disciplina receptum est, ut non nisi publico in templo auctoritate Antistitum vel consecrato, vel, ut loquuntur, benedicto, Eucharistia conficeretur ad majorem magnæ rei celebritatem. Triplicem habet partem hæc observatio: prior spectat Ecclesias publicas, poste-

rior Oratoria privata, postrema altaria quæ sive in publicis Ecclesiis, sive in privatis Oratoriis eriguntur, sive extra Ecclesias, & Oratoria circumferuntur, quæ vulgò altaria portatilia appellant.

In erectis auctoritate Antistitum publicis templis, ut dignius eadem ad cultum Eucharistiæ præpararentur, quædam Sacramentalia adhiberi perpetuè consueverunt. Nimirum veteres Episcopi dedicabant illa, seu consecrabant stans formulis, parietes etiam sacro chrismate liniendo. Id commodè semper factum est, quousque aut unicum, aut pauca admodum essent templa: verum recentioribus sæculis ubi cœperunt divinæ ædes multiplicari non solum in amplis Urbibus, sed in oppidis, vicis, ac pagis, aut minus commodum, aut minus opportunum visum fuit singula solemniter dedicare. Optandum quidem fuit, ut saltem majora templa, veluti Cathedralia, Collegialia, Parochialia consecrarentur; sed ne in istis quidem consecratio semper fieri potuit; eam ob rem satis consultum est sacris officiis, si templa omnia benedicerentur. Emergit hinc distinctio, nescio quo primùm sæculo, inter Ecclesias consecratas, & Ecclesias benedictas; & quando à consecratione cessatum ideo fuit, quia Episcopi, ad quos consecratio pertinet, præsto esse non poterant consecrandis universis, receptum est, ut benedictio ex Episcopi mandato à Presbyteris fierent. Imò quia benedictio templorum quasi extra ordinem inveni cœpit, ne singularis quidem benedicti forma & ritus constitutus est, sed ille ritus generalis adhibitus, qui in benedictione jususcumque novæ domus adhibetur, quod fit aquæ benedictæ adspersione sine inunctione Chrismatis, & quibusdam orationibus recitatis. Hæc ratio est, quare apud veteres Patres multa decreta fuerint de Ecclesiis consecratis, vix in canonibus quidquam decretum adpareat de benedictis, nisi eatenus, quatenus æquè & consecrata, & benedicta Ec-

clesiæ, ita parata sint, & instructæ, ut in utrisque dignè & decorè Eucharistia conficiatur. Itaque in solemnibus dedicatione & cultu templorum symbola quædam ecclesiastici Patres constituerunt, videlicet in iis figuram animæ Christianæ collocarunt, ut ex nitore & ornatu ædium, in quibus singulari jure divina majestas sedet, colligerent fideles homines, omni labe pueros se esse oportere, tanquam in quorum animabus Deus inhabitat. Prædicaverunt insuper, dedicationem illam instruat esse exemplo baptismatis, cujus rei causa & sacro Chrismate parietes instat catechumenorum liniverunt, decreveruntque, ut quemadmodum homo baptizatus nunquam rebaptizari potest, & si deliquerit, tantum per penitentiam restituitur, ita Ecclesia semel consecrata iterum consecrari non possit, quòd si pollui eam contingeret, stans formulis reconciliaretur, can. 3. dist. 68., can. 18. & 20. de cons. dist. 1., item quemadmodum ubi dubitatur, an homo baptizatus sit, baptismum conferri statutum est, ita & consecrarentur Ecclesiæ, de quarum consecratione dubitaretur, dicitur can. 18. de cons. dist. 1. Pollutam Ecclesiam dixerunt, non quidem cum vel in parte vel tota corruerit (qua in specie nova consecratio esset faciendum demum, cum integra, vel major Ecclesiæ pars reedificata fuisset, unde non verus, sed novum templum dici posset, non verò si tantum aliqua pars restauratione indigerit, aut motum fuerit altare, cap. 1. de consecr. Eccles. vel altar., insuper habita pseudodecretali Hygini Papæ, cujus fragmentum extat in can. 19. de cons. dist. 1.) sed tunc pollutam Ecclesiam dixerunt, vel cum cultu impio est profanata, vel cum enorme crimen admissum in ea fuerit, quale est inter cætera crimen homicidii, aut non modica effusio sanguinis ex gravi injuria in hominem illata contingens, cap. 4. & ult. de consecr. Eccles. vel altar., cap. un. eod. tit. in 6.

aut cum vel infidelis, vel excommunicatus denunciatus in ea sepeliatur, cap. 7. de cons. Eccles. vel alt., vel denique contra interdicti sententiam fuerit alicui sepultura concessa, dicto cap. 7. Igitur in æde, quæ nec benedicta, nec consecrata fuerit, aut non reconciliata post pollutionem, nemo regulariter potest Eucharistiam conficere, gravibus pœnis coercendo eo, qui confecerit, arbitrio Episcopi, non tamen habendo tanquam irregulari, cap. 18. de sent. excom. in 6.

Hæc generalia sunt. Cœterum ex singulari dispensatione non infrequenter obtinuit, ut in privatis Oratoriis, seu Cappellis intra privatas aedes constitutis Missæ sacrificium celebretur, exceptis tamen majoribus festivitatibus, quibus fideles ad Ecclesias publicas convenire, visum semper fuit opportunum, can. 25. de consecr. dist. 1. Nomine privati Oratorii minimè veniunt minores quedam Ecclesiæ privatorum sump-tibus erectæ retento erigentium gratia jurepatronatus, in vicis, in pagis, aut etiam in agris: Si enim istæ Cappellæ auctoritate Antistitum vel consecratæ, vel benedictæ ad usum publicum fuerint, & istæ jure Ecclesiarum publicarum censentur. Hinc ut publicæ dicantur, usus potius, & commodum publicum spectatur. Qua in re ut publicæ Cappellæ à privatis secernantur, solet observari, an Cappellæ ostium habeant patens in publica via, etiam si talis via sit, quæ ad publicam eandem Cappellam intermoriatur, argumento l. 3. ff. de loc. & itin. publ., his enim casibus Cappella eadem tanquam publica habebitur, argumento l. 6. & 72. §. 1. ff. de contr. empt., l. 1. ff. de locis & itin., & l. 2. §. & 5. ff. ne quid in loco publico. Imò etiam si in privato fundo Capella construeretur, nec ante viam publicam; & fundi dominus se obligaret ad viam concedendam in solo privato, ut publicè conveniri ad Cappellam possit, eadem Cappella tanquam publica haberetur. Hoc

sensu ad veterum usus respiciens ego tanquam publicas Cappellas illas fuisse existimarem, quæ primis Ecclesiæ sæculis, cum fideles ab Ethnicis dirè vexarentur, extruebantur in ædibus privatorum, aut fundis ad celebranda clanculum Sacra ad publicum fidelium commodum, quod & ex actis Apostolorum erui posse videtur, cap. 2. ver. 46., & cap. 20. vers. 7. & 8. Præterea nomen privati Oratorii non intelligitur hoc in loco illud, quod quis sibi construat causa privata orationis; id enim construere domi unicuique licet sine Ecclesiæ auctoritate, can. 33. de consecratione dist. 1., sed intelligitur illud, quod domi construitur causa Eucharistici sacrificii. Frequens fuit harum Ecclesiarum usus primis Ecclesiæ sæculis, imò & ferè necessarius. Sed exstructis quarto sæculo publicis templis, vetitum fuit, ne intra domesticos parietes Sacra celebrarentur, Concilio Laodicæno can. 58. ibi: *Quod non oporteat in domibus fieri oblationem ab Episcopis, vel Presbyteris;* quod & confirmavit Justinianus in Novel. 58. & 131. cap. 8. Cœterum successu temporis cautum est, ut generaliter quidem in privatis ædibus Eucharistia non conficeretur, adhuc tamen permetteretur, quoties Episcopus indulgeret. Id primum apud Græcos constitutum est in Trullana Synodo, can. 34. de consecr. dist. 1., deinde ad Latinos traductum, can. 12. de consecr. dist. 1.; Capitular. Francor. lib. 5. cap. 383. & lib. 6. cap. 102. Passim verò istæ Cappellæ in monasteriis instituebantur ad privatum commodum Monachorum, item in palatiis Principum, in ædibus etiam episcopalibus, & sicubi Episcopus edificandas prudentè arbitrio duxisset. Usus etiam erat, ut reliquæ Martyrum in eisdem Cappellis reconderentur quasi in perpetua sede, & quando Cappellæ eadem privata veluti in perpetuum futuræ construebantur, obtinebat, ut inter publicarum Ecclesiarum ab Episcopis solem-

ni dedicatione consecrarentur. At recentioribus sæculis cum primum fieri cœpit, ut tantum personarum quarundam gratia hæc privata Oratoria fierent, & mortua persona in pristinum statum restituerentur conversa iterum in usus profanos, obtinuit, ut simplici benedictione sanctificarentur, ne utquam consecrari per Episcopos possent, propterea quod minimè decebat, semel Deo dicatum in humanos usus iterum transferri, cap. 51. de reg. juris in 6., eo vel magis, quia cum Episcopi nequirent omnes Ecclesias publicas ob excrescentem illarum numerum consecrare, eò minus consecrare valerent omnia hujus generis Oratoria. Adeo excreverat recentioribus sæculis numerus privatarum Cappellarum, ut vix domus essent privatæ, in quibus ex indulgentia, ne oscitantiam, & conviventiam dixerim, Episcoporum sacra non ferent. Quamobrem Concilium Tridentinum in sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ opportunum duxit, graviter coercere Episcopos, *ne patientur privatis in domibus, & omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sacrum Sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi.* Statim absoluto Concilio Tridentino S. Carolus Mediolanensis in suo Concilio Provinciali 1. part. 2. tit. *qua pertinent ad celebrationem Missæ*, non nisi in causis gravioribus à generali lege dispensandum ab Episcopo voluit. In multis deinde Provinciis, præsertim in Italia, ea recepta fuit Tridentini Concilii interpretatio, qua traderetur, dispensationem à solo Pontifice Maximo impetrari, quamquam tamen in eisdem Provinciis non omnino extincta fuerit in hac parte vetus illa episcopalis jurisdictio, quæ olim vegebat, sive quæ in eolumne remanserit privilegium Episcopis concessum in cap. ult. de privileg. in 6., ex quo ipsi ubicumque habitant etiam in itinere Cappellam, seu altare erigere va-

leant, Sacra celebrari, vel audituri, sive quòd favore Seminariorum, & religiosorum ecclesiasticarum ædium, puta Hospitalium, & Monasteriorum virorum simile jus concedere valeant; neque aliud videretur dicendum, ubi necessitas quadam, aut gravis utilitas publica similem dispensationem postulare, quemadmodum evenire solet in Oratoriis, quæ in publicis carceribus eriguntur.

Quod ad altaria pertinet, ait Isidorus in lib. 15. Originum cap. 4. *Altare ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara.* Est autem duplicis generis, unum scilicet immotum & fixum, quod in templis publicis, aut etiam privatis in oratoriis erigi potest; alterum mobile, quod & gestariorum, vel viaticum, vel itinerarium, vel portatile appellatur, ac potest sive in Ecclesiis, sive extra Ecclesias collocari. Olim in unaquaque Ecclesia unicum erat altare, quemadmodum unus Episcopus, uti scribebat S. Ignatius in epist. ad Philadelphios, illudque ut plurimum fixum, & immotum, eratque integra mensa ad Sacrificium præparata columnis suffulta, in qua Sanctorum Martyrum reliquiæ condebantur, necnon per Episcopum sacro chrismate consecrabatur. Id passim obtinuit apud Latinos post erecta publicè templa. Paulò aliter se gerebant Græci, qui mensas in Ecclesiis sine ulla consecratione collocabant, supra quas extendere solebant antimisia, sive lineæ quadam sacris reliquiis intexta, unguento sacro delibata, & Antistitis benedictione consecrata, unde ex hac antimisiorum impositione consecrari apud illos altaria dicebantur. Altaris materia erat apud veteres modò lignea, modò lapidea, modò etiam in quibusdam Ecclesiis celebratoribus argentea, atque aurea, ita constructa ex insigni Principum, vel Maximorum Pontificum munificentia. Deinde verò usus invaluit, ut tantum ex lapide, & quidem integro, & solido conficerentur, propterea quod mysterio-

rum observatores passim tradere cœpissent, altare Christi esse figuram, qui unus est, qui lapis angularis in sacris litteris appellatur, can. 31. de consecr. dist. 1. De his altaribus fixis, & immobilibus solida mole constitutis intelligendum est rescriptum Alexandri III. & Innocentii III. in cap. 1. & 3. de consecr. Eccles. vel altar., quo dicitur, non solum consecrationem altaris interire, cum altare contractum fuerit, aut etiam diminutum, sed etiam cum *mutum fuerit*. Nomine altaris mobilis, quod & portatile dicitur, & gestatorium, modò etiam viaticum, & itinerarium, intelligimus angustiore quam quadrangularem mensam ad continendam ambitu suo Eucharistiam idoneam, qua in loco ad confactionem Eucharistiæ præparato collocatur, ita tamen, ut ab eodem loco divelli possit. Tribus primis Ecclesiæ sæculis frequentissimus esse potuit usus hujus altaris; cum sæpè huc illuc circumire solerent Sacerdotes sacra mysteria celebraturi sine Ecclesia, aut templo. Abhinc deinde publicis templis rarò altaria mobilia adhiberi cœperunt, cum in Ecclesiis immobilia construerentur. Sed postquam Ecclesiarum numerus excrevit, imò & excrevit numerus altarium in singulis templis, postquam præsertim Episcopi commodè non potuerunt ad Ecclesias quascumque novas accedere & Ecclesias ipsas, & altaria consecraturus; receptus est passim usus etiam in Ecclesiis constituendorum altarium portatitium, quæ apud Episcopum consecrarentur sacro chrismate, & adpositione reliquiarum, atque ita consecrata super mensas à Sacerdote benedictas appositè aptèque collocarentur. Exemplo autem altarium fixorum, & hæc mobilia altaria ex lapide facta sunt, item ubi frangantur, aut notabiliter diminuuntur, aut sigillum, quo signantur sacræ reliquæ, amoveatur, dicuntur consecrationem amittere, cap. 1. & 3. de consecr. Eccles. vel altar. Alius quoque est usus horum al-

tarium portatitium, in quibus extra sacras ades, aut oratoria privata celebrari sacrificium potest, quotiescumque quis eo privilegio gaudet, sive ex jure communi, uti in cap. ult. de privileg. in 6., sive ex indulgentia singulari Pontificis Maximi, argumento cap. 30. de privilegiis; aliquando etiam ex Episcopi concessionem. Quamquam enim in pluribus Provinciis obtinuerit ex recepta Concilii Tridentini interpretatione juxta decretum suprà laudatum, regulariter facultatem in altari portatili extra Ecclesiam celebrandi ab uno Pontifice Maximo impetrari, si tamen publica gravis necessitas aliquando in iis celebrari postulet, tradunt Pragmatici, ab Ordinariis eam posse dispensationem obtineri, quemadmodum inter ceteros eventus favore militum in castris constitutorum usuvenit, quorum gratia, si facilè ad Ecclesiam accedere nequeant, definitum est, ut vel subdolo, vel in tentoriis sacra Eucharistia conficiatur, can. 30. de consecr. dist. 1., quibus tamen in casibus curandum semper est, ut decorè sacra mysteria, quoad fieri possit, tractentur, nihilque admittatur, in quo irreverentiæ in tantum Sacramentum locus aperiatur; eamque ob rem receptum est, ut in mari navigantium minimè permittatur usus altaris portatilis, in quo in navi posito conficiatur Eucharistia, cum venire aliquando possit, ut ex navis agitatione inter medios fluctus constituta, sacer calix effusionis periculo subjiciatur.

Altera observatio respicit tempus, quo sacra Eucharistia sita conficienda. Olim in unaquaque Ecclesia semel tantum in die Missa celebrabatur, uti facile constat ex can. 117. de cons. dist. 2. cujus verba ex Antissiodorensi Concilio sæculo sexto celebrato derivata ita sunt describenda: *Non licet super uno altari in una die duas Missas dicere: nec altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat*. Hinc præstituta erat hora tertia, sive quòd uni-

enique de populo commodior videretur, sive quòd eadem hora aptius res coleretur memoria Crucifixionis Domini, can. 48. & 52. de cons. dist. 1. exceptis diebus jejunii, quibus Sacra fiebant hora nona, can. 50. dicta dist. 1., item exceptis solemnitatibus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, quibus præcedente nocte Sacra fieri concedebatur. Hæc disciplina hodie ferè exolevit; etenim solemnia noctis Paschalis, & Pentecostes ad mane præcedentium sabbatorum translata sunt; in cæteris hora vel nocturna in die Dominicæ Nativitatis, vel tertia in cæteris festivitatibus, vel nona in diebus jejunii tantum servatur ad veteris disciplina vestigium, ubi agatur de Missis publicis, seu solemnibus ab Episcopis, Capitulis, Collegiis, & Parochiis celebrandis. Statim ac enim visum fuit commodo Christiani populi studere multiplicatis Sacerdotum officiis, cautum est, ut à summo mane ad meridiem Sacerdotes cæteri celebrarent, ut Missa publica & sollemnis staret horis, tertia & nona non turbaretur, can. 51. de cons. dist. 1., juncto cap. 2. de Parochiis. Ad rationem quoque temporis pertinet, quod statutum legimus, non posse Sacerdotes, nisi semel in die, Eucharistiam conficere, excepta solemnitate Natalis Domini, qua ter celebrari sacra permittitur, cap. 3. & 12. de celebrat. Missar., can. 53. de consecr. dist. 1. Non est tamen dubitandum, quin certis in locis Parochia liceat ex singulari indulgentia pluries celebrare Sacram, si necesse sit; videlicet si duplicem Parochialem Ecclesiam regat dissitis in locis, quum uterque populus in unam Ecclesiam convenire nequit, alias autem deest alter Sacerdos, qui in alterutra celebret; atque ad hanc speciem pertinere verba illa si necesse fuerit canonis 53. de consecr. dist. 1., & similia in cap. 3. de celebrat. Missar., Pragmatici docent. Videtur canon 19. Concilii Emeritensis

anni 666. Non defuerunt, qui putarent, similem dispensationem habere locum, ubi magna sit in una Parochia populi multitudo, quæ non facilè eodem tempore convenire possit ad Ecclesiam, cui unus tantum Sacerdos adscribitur, quia crederent, id definitum fuisse à Leone Magno in can. 51. de cons. dist. 1. Id verò mihi placere non potest, observanti, canonem Leonis ad vetustissimam disciplinam referendum esse, juxta quam in una Ecclesia semel tantum Missæ sacrificium celebrabatur, licet in ea plures existerent Sacerdotes, ac propterea ab eodem Leone primum concedi visum fuit, ut pluries Sacra fierent, per diversos tamen Sacerdotes, ubi populus eodem tempore convenire in Ecclesiam non valeret.

Tertia observatio in iis consistit canonibus, quibus definitum est, ut in celebratione Missarum nihil omittatur ex iis, quæ Christus instituit, nihil quoque ex iis, quæ Ecclesia custodienda esse voluit, ut omnia nitidè, decorè, & cum tanti Sacramenti reverentia fierent. Ad Christi institutionem refertur, ut in pane triticeo Corpus Christi consecratur, sive ille azymus sit, sive fermentatus (quamquam in hac observanda erit singularis uniuscujusque Ecclesiæ disciplina, nimirum apud Græcos fermentatus, apud Latinos panis azymus in usu habendus sub pœna privationis officii, & beneficii, & cap. 8. de celebrat. Missar.), item ut Sanguis Christi in vino simul & aqua consecratur, dummodò non tanta aqua sit, quanta vini quantitas, cap. 13., juncto cap. 6. vers. *Quasivisti etiam*, & cap. 8. de celebrat. Missar., can. 5. 7. & 83. de consecr. dist. 2., præterea ut Sacerdos utramque & panis & vini speciem offerat, & de utraque ipse communicet, can. 12. de consecr. dist. 2. Ex Ecclesiæ institutione profectum est, primò ut Sacerdos nonnisi jejunus celebret, cap. 5. de celebrat. Missar., jamdiu enim interit consuetudo singularis

Africanæ Ecclesiæ, juxta quam semel in anno in die Cœnæ dominicæ sacramenta à cœnatis fiebant, can. 49. de cons. dist. 1.; secundò ut lumina super altari accendantur; tertio, ut non solus Sacerdos sit, uno saltem interveniente ministro, quamquam olim duo saltem præsentés esse deberent, can. 61. de cons. dist. 1.; quarto, ut sacra vasa, quibus Eucharistia continetur, aurea sint, vel argentea, non lineæ, aut vitrea, quamquam & hæc olim in usu fuissent, can. 44. & 45. de cons. dist. 1., quò alludens S. Hieronymus in epist. 4. ad Rusticum ita scribebat de B. Exuperio Tolosano: *Qui vasa sacra vendiderat, ut inde pauperibus opem ferret: ille nemo dicitur, qui Corpus Domini in corbe viminia, & Sanguinem ejus in poculo vitio portat*; quinto, ut orationes, & Dei laudes, quæ in Missæ celebratione recitantur, diei festo, & officio conveniant; neque enim licet sine causa ritum ecclesiasticum immutare, cap. 2. de celebrat. Missar. Cætera omitto, quæ ad ornatum Sacerdotum æquè & altarium pertinent juxta Ritualium, & Missalium formam.

Sunt quædam certis in casibus jure præstituta pœnæ adversus Clericos, qui ritus sacros in Eucharistia conficienda minimè servaverint. In canone 7. de cons. dist. 2. quicumque aliud obtulerint in sacrificio Missæ, quam panem & vinum, tamdiu à sacrificando cessare jubentur, quamdiu legitimæ pœnitentiæ satisfactione correcti fuerint. In canone 57. de consecr. dist. 1. suspenditur à Corpore & Sanguine Christi, quicumque Sacerdos aut cum baculo, aut velato capite ad altare sacrificaturus accesserit, aut non integrè sacrificium consummaverit. In can. 11. de consecr. dist. 2. per annum suspenduntur Clerici à divinis, si tempore sacrificii minimè communicaverint. In cap. 9. de celebrat. Missar. indicta est pœna suspensionis adversus Sacerdotes illos, qui vix quater in anno Missæ sacrificium

celebrarent. In can. 35. de consecr. dist. 1. statuitur, ut communione priventur Clerici, qui in privatis Oratoriis certis solemnibus anni festivitatibus ibidem descriptis celebraverint. In can. 9. dist. 23. Sacerdos excommunicationis debitæ dicitur subjacere, qui sine sacris ornamentis consecraturus accesserit, quæ in sui ordinatione suscepit. Denique in can. 16. caus. 7. quæst. 1. decernitur, ut excommunicationis sententiam sustineat Sacerdos, si quod ipse sacrificium cepit, alteri mandet perficiendum, nisi ægritudine supervenerit. Ecquidem fautor, aliquot ex monumentis modò laudatis inter apocrypha recenseri; verum usus obtinuit, ut eorum sanctio recipeatur, præsertim quòd in alia germana Ecclesiarum statuta translata fuerint. Quid verò nomine communionis sublata in aliquibus ex eisdem canonibus intelligatur, num vera excommunicationis censura veniat, num potius censura suspensionis, facile concludetur ex iis, quæ tradentur inferius, quum de censuris sermo instituetur.

Quarta observatio spectat oblationes, quæ Sacerdotibus Missæ sacrificium celebraturis conceduntur, quæ Missarum elemosynas, seu honorarias passim appellant. Sunt istæ duplicitis generis, manuales scilicet, & perpetuæ. De manualibus primùm dicam, harum origo ab antiquissimis Ecclesiæ sæculis est repetenda. Siquidem olim cum unusquisque de fidei populo sacris adstans communicare de Eucharistia solet, can. 10. de consecr. dist. 2., unusquisque etiam panem, & vinum Sacerdoti consecraturò offerebat, Concilio Maticensi II. anni 585. can. 4., quæ ratio fuit, cur Tertullianus in libro de exhortatione castitatis cap. 7., fideles omnes nomine Sacerdotum appellaverit. Atque ex pane, & vino oblati pars detrahebatur ad conficiendam Eucharistiam, residuis portionibus in Clericorum, & pauperum alimenta collatis. Quandoque etiam unà cum pane & vino à populo certis

an-

anni temporibus offerebantur spicæ, aut uvæ, non sanè in quibus sacrificium fieret, sed quæ benedicerentur, tanquam primitiæ vini, & tritici, in quibus Sacramenti materia consistit; ad quam benedictionem pertinere videntur verba illa canonis, quæ etiam hodiè recitantur: *Per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedixisti, & prestatas nobis.* Erat præterea in templo urna quædam, seu gazophylacium, cuius meminit Tertullianus in cap. 39. apologetici, ubi pecunia à fidelibus convenientibus oblata recondebatur ad subsidia pariter Clericorum, & pauperum. Recentioribus sæculis, sive octavo, ut nonnulli putant, sive undecimo, ut alii visum est, ab usu recesserunt oblationes panis & vini, quorum loco succedere oblationes pecuniarum; tùm verò nummi ad manus Sacerdotum porrecti deserunt in arca reponi, & Sacerdotes, quibus nummi cedebant, panem ipsi, & vinum ad altare adferebant; imò ut veteris disciplina vestigium quoddam remaneret, panem ipsum Eucharisticum in denarii figuram exegerunt, quo indicarent panem ipsum ex fidelium oblationibus ad aram allatum, uti observavit Honorius Augustodunensis in Gemma animæ lib. 1. cap. 66. Paulatim factum est, ut extra Missarum tempora fierent ejusmodi oblationes, præsertim postquam exerevit Sacerdotum numerus, & in una Ecclesia pluries sacrificium celebrari cepit, non quasi pretium Missæ, ut ait S. Thomas in 4. dñt. 25. quæst. 3. art. 2. quæst. 1. & 4., hoc enim esset pudendum simoniæ vitium, ut iterum scribit Angelicus in secunda secundæ quæst. 100. art. 2. ad secundum, sed quasi sustentamentum viæ. At quamvis ita sese res habeat (notat Benedictus XIV. in lib. 51. de Synodo Diocesanâ cap. 8. num. 8.) nihilominus fatendum est, quorundam improborum Sacerdotum sordidam avaritiam dehonestasse, quod ceteroquin in se licitum, & sanctum erat; non-

nulli quippè visi sunt Missas quodammodo venditare, & turpissimum questum de illis facere. In primis eum iteratio Missæ nondum esset severa lege prohibita, quidam eodem die pluries sacra celebrabant questus unius gratiæ; deinde post vetitum Alexandri II., seu cujusvis alterius, qui auctor dicitur canonis 53. de consecr. dist. 1., & Innocentii III. in cap. 3. de celebrat. Missarum, nequiores artes excogitaverunt, quibus plures elemosynas unius Missæ celebratione lucrarentur, modò tot hostias in eadem Missa consecrando, quot illi fuerant, à quibus elemosynas acciperent, modò plures Missas in unam congerendo, ex. gr. legentes Missam diei usque ad offertorium, tùm aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam, & quartam similiter; postea tot secretas orationes dicentes, quot Missas inceperant; denique sub uno canone sacrum perficientes, totidem additis in fine collectis, quot initio recitaverant, quas propterea *bifaciatas*, & *trifaciatas* Missas appellabant, aptius dixeris monstra Missarum. His ab Ecclesia eliminatis, non idcirco improba quorundam cupiditas radicibus fuit evulsæ; adhuc enim iidem de majore elemosynæ quantitate paciscebantur, aliàs non celebraturi, & similibus artibus Ecclesiæ, & fidelium vota fallabant. Quamobrem Concilium Tridentinum in sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ saluberrimè cavet, ut Episcopi de medio tollerent, quidquid avaritia contra tantum Sacrificii reverentiam induxerat, ut & simoniacæ labe, & turpis questus omnino prohiberetur; ad cuius decreti executionem consueverunt deinceps Episcopi aut in Synodis, aut extra Synodos certam elemosynæ quantitatem definire, infra quam Sacerdotibus pacisci non liceret, ultra quam nihil amplius postularet Sacerdotes iidem possent; ubi aliis eadem quantitas ex diocesani consuetudine necdum definita olim fuisset. Hæc elemo-

mo-

mosynarum quantitas ita hodie celebranti Sacerdoti cedere integra debet, ut ne ab Ecclesia quidem, in qua sacrum agitur, retineri quidquam possit prætextu sacrorum indumentorum, & illorum, quæ sunt ad celebrationem Missæ necessaria, quamquam favore Ecclesie aliquid concedatur, ubi agatur de Missis perpetuis ex alicujus fundatione relictis, si Ecclesia ipsa alios, & sufficientes redditus non haberet.

Paulò aliter sese habet Missarum perpetuarum origo, & paulatim progrediens disciplina. Ecquidem olim sacra fiebant pro defunctis, vel die tertio, vel septimo, vel trigesimo, vel quadragesimo, ab eorundem obitu, postulantis heredibus, aut ita postulante singulari in quosdam fidelium pietate, argumento canonis 24. caus. 13. quæst. 2., qui est Ambrosii. Sed hæc Missæ perpetuæ non erant, utpotè quæ semel celebrabantur. Regulariter istæ pro defunctis institui consueverunt, sive ad anniversaria, sive ad menstrua, sive ad hebdomadaria, sive ad quotidiana suffragia. Et quidem solebant olim anniversaria die oblationes fieri ab heredibus in pauperum usus, in cultum Ecclesiarum, in sustentationem Clericorum; deinde ex præscripto testatoris fieri cœpit, ut oblationes eodem tempore Clericis fierent, vel Missam celebrantibus, vel sacris solemnibus adstantibus, quarum mentio fit in cap. un. de Cler. non resid. in 6. Porro institutis honorariis Missarum privatarum, ad horum exemplum ad certa quoque honoraria redactæ sunt earundem Missarum perpetuarum oblationes, sicut & instituta perpetua Missæ celebrandæ obligatio ecclesiasticis constitutionibus confirmata, cap. 11. de præbend., qua tamen in specie licebit Sacerdoti gravato alteri celebrationem Missæ mandare, dummodò saltem eam elemosynam mandatario cedat, quæ in usu est in ea Provincia, in qua beneficium, seu Cappellania est erecta, quin teneatur integram

redditu portionem concedere, quam lucraretur, si ipse per se celebraret, præsertim si Cappellanus seu beneficiarius aliis oneribus vi beneficii seu Cappellaniæ gravaretur. Istæ fundationes recentibus sæculis adeo excreverunt, ut aliquando contingeret impleri omnes omnino non posse, sive quòd paulatim imminuerentur redditus à fundatore designati; sive quòd excreverent manibus elemosynis par non esset numerum Sacerdotum. Hinc saluberrimè decrevit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. de Reform., ut facultas esset Episcopis in Synodo Diocesana, inter Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus re diligenter perspecta pro sua conscientia in Ecclesiis sibi subjectis, quas nova provisione indigere cognoverint, statuendi circa ea, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderent expedire. Hodie in pluribus Diocesisibus recepta est disciplina, ut Episcopi, aut Abbates hac facultate destituantur, sitque opus ad eam rem confugere ad Apostolicam Sedem, nisi quis singulari privilegio eam facultatem iterum se adquisivisse demonstrat.

Quinta denique observatio spectat sacre Eucharistiæ custodiam, in qua duplici de causa tantum Sacramentum obsignatur, primò, ut paratum sit ad administrationem sive ad Ecclesiam convenientiam, sive absentium infirmorum, secundò ad publicum cultum, & venerationem. Locus ad recondendam Eucharistiam debet esse singularis, mundus, & clavi signatus, cap. 10. de celebrat. Missar., cap. 1. de custod. Euchar., & in ea tantum Ecclesia, in qua & ad publicum cultum exponi, & fidelibus ministrari permittitur, sive ex jure communi, qualis est Cathedralis, & Parochialis, sive ex jure singulari, qualis est Ecclesia monasterii, & alia quæcumque eo privilegio insignita, argumento Clement. 1. de privileg. Quoniam verò potissima custodiendæ Eucharistiæ

ratio ex Sacramento administratione proficiscitur, generaliter definitur, ad infirmos non posse illam deferri, nisi à Parocho, cum id inter Perochialia munera recensetur; nisi agatur de infirmis privilegio comprehensis, quales sunt monachi intra claustra degentes, ad quos ex Ecclesia monasterii Eucharistia deferretur. Quòd si non de infirmis agatur, unicuique Sacerdoti, & in quacunque Ecclesia, in qua celebrari Missæ sacrificium potest, aut etiam in Oratorio privato ex Episcopi dispensatione, licebit, dum Missa peragitur, Sacra-

mentum de altari ministrare, quasi unicum Sacerdoti fideles suscipientes communicent, quod semper Ecclesia optaret, Concilio Tridentino sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 6. At extra Missæ celebrationem id fieri non licebit, nisi in Ecclesiis, in quibus Sacramentum ad servari permittitur, dummodò animadvertatur, Paschali die ab administratione abstinendum esse in Ecclesia privilegiata, quod fideles tunc temporis in Parochiali Ecclesia Eucharistiam suscipere teneantur, cap. 12. de penitent. & remission.

AD TITULOS

De eo, qui furtivè ordinem suscepit. lib. 5. tit. 30.

De Clerico per saltum promotus. lib. 5. tit. 29.

De Clerico non ordinato ministrante. lib. 5. tit. 28.

De Clerico excommunicato, deposito,

vel interdicto ministrante. lib. 5. tit. 27.

Quod in Sacramento Ordinis dignitas consistat, & potestas maxima ecclesiastica Hierarchiæ, conventuum sacris canonibus fuit inter cætera, in primis ne quis aut furtivè, aut per saltum promoveretur; deinde ne quis in ordine aliquo ministraret, nisi ordine per sacros Antistites initiatus; item ne ordinati ipsi ad ministrandum accederent, si censura aliqua, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti notati fuissent.

Furtivè dicitur ordinatus, qui cum ne ad ordines accederet, sive ex generali juris definitione, sive ex singulari Antistitis præcepto prohiberetur, nihilominus ad ordinationem accesserit. Mirum profectò est, quam variè in hac re esse debuerint veterum Antistitum curæ, ab iis, quæ ad recentioribus suscipienda fuerunt. Fugiebant olim ordinandi Clerici Episcoporum, à quibus vocati fuerant, manus, & unusquisque penè ordinabatur invitus, uti testantur Impera-

tores Leo & Antemius in l. 31. cod. de Episc. & Cler., adeo impressa erat menti uniuscujusque germana sacre ordinationis imago, qua crederent, gravissimum munus publicum ab iis suscipi, qui ordinarentur. Sed postquam irrepsit ambitio & avaritia in Ecclesiam, & nomen beneficii inditum est ecclesiasticis officiis non defuerunt, qui etiam non vocati, imò & exclusi, non quaerere tantum sacram ordinationem, sed & surripere voluerunt. Hujusmodi fuerunt aut mariti sine consensu uxorum ordinati, vel quòd se conjugio obstrictos esse dissimulaverint, vel quòd consensum uxorum obtinuisse falsò allegaverint, extravag. un. de voto & voti redempt. apud Joannem XXI. Item servi sine consensu domini ordinati, præterea curiales, ac rationibus publicis obnoxii; & denique qui aut non probati & prorsus ignoti tempore sacre ordinationis inter Clericos designatos sese clanculum immittunt

ordinem surrepturi, vel qui admissi ad unum ordinem suscipiendum, alterum etiam, ut ut moniti ne accedant, suscipiunt, can. 5. dist. 24., cap. 1. & sequentibus de eo, qui furtivè. Equidem non est dubitandum, irritam non fore ordinationem illius, qui quomodocumque furtivè susceperit ordinem, etiam si Episcopus ordinaturus penam excommunicationis indixerit adversus eum, qui ordinationem surriperet. Siquidem cum Sacramenta statim rata sint, ac firma, ubi legitimus minister sit, & capax ille, cui ministratur, ubi etiam & materia & forma legitima adhibetur, nihil esse potest, quod in propositis speciebus ordinationem enervet, quando ponatur, Episcopum esse qui ordinat, baptizatum esse, qui ordinem suscipit, & ritè adhibita esse materiam & formam. Si quæ dubitatio subesset, ex eo fortè emergeret, quòd videretur deficere intentio ordinantis, qui non alios generaliter ordinare vult, quam eos, qui legitime accesserint. Verùm duplex distinguenda est ordinantis intentio, generalis primùm qua præsumitur nolle ordinare, nisi eos, qui legitime accedant; deinde specialis, qua singulos quosque accedentes ordinare intendit, & ordinat, facile autem est percipere, specialem intentionem generali derogare. Potius dubitatur de viribus ordinationis, cum ordinaturus Episcopus publicè & generaliter profitetur, se animum non habere ordinandi eum, qui furtim accedat. Hæc planè ordinationis formula viris prudentissimis probari non potest, inter quos memorandus est Benedictus XIV. in lib. 8. de Synodo Diocesana cap. 11., qui ad rei proposita definitionem optime tradidit, interrogandum Episcopum esse, an voluerit ab ea generali intentione ordinationem pendere, an potius id protestatus fuerit terroris incutiendi causa, ut clam & temerè accessuros adjectis minis facilius arceret, in actu deinde ordinationis verè intendens ordinem præseni & petenti conferre. Quoties enim

fateatur Episcopus, ab ea generali intentione pependisse ordinem collationem, iteranda erit ordiatio, quemadmodum & iteranda sub conditione, quoties aut Episcopus interrogari non amplius posset, aut interrogatus se in incerto versari responderet. Poena illorum, qui cum abs jure prohiberentur, nihilominus ad ordines suscipiendos accesserint, ut plurimum est irregularitas. Sic maritus irregularis erit, qui sine consensu uxoris ordines susceperit, à qua irregularitatis nota non indulgetur à superiore dispensatio, nisi ordinatus aliquam de religionibus approbatis expressè vel tacitè professus fuerit, dicta extrav. un. de voto & voti redempt. De servis sine consensu dominorum, item de curialibus, & obnoxiiis publicis rationibus ordinatis sermo erit inferiùs, ubi agendum erit de nota irregularitatis. Quòd si de illis agatur, qui contempto Episcopi præcepto ad ordinationem accesserint, quia non probati elanculum se inter Clericos designatos immiserint, aut quia admissi ad unum ordinem, alterum etiam furtim susceperunt, adparet quidem, eos, qui ita aliquem ex majoribus ordinibus susceperint, irregulares fieri, cum quibus tùm demùm dispensari queat, cum iudicium pœnitentiam expleverint, can. 5. dist. 24., cap. 1. & sequentibus de eo qui furtivè; nihilominus tamen si minores tantum susceperint ordines, nihil tale expressè constitutum invenio; quamobrem dicemus, extra ordinem quidem puniendos, non tamen poenæ irregularitatis obnoxios esse, argumento capituli 2. de eo qui furtivè.

Per saltum dicitur ordinatus, quicumque ordines ecclesiasticos non per legitimos gradus susceperit, veluti Lector initiatus, qui non erat Ostiarius, Exorcista necdum Lector, Acolytus necdum Exorcista, Subdiaconus necdum Acolytus, Diaconus necdum Subdiaconus, Sacerdos necdum Diaconus, Episcopus necdum Sacerdos. Equidem olim isti ordines non custodiebantur, quando scimus,

mus, S. Ambrosium electum fuisse ac consecratum Episcopum, quum adhuc catechumenus esset, exiguo elapso tempore inter baptismum, ac Sacerdotium, imò nullo ferè tempore elapso inter Sacerdotium, & Pontificatum, can. 3. dist. 63. Verùm recentior ætas hosce gradus ineundos constituit, veluti per inferiores ad superiores via sternatur. Qui temerè ita se ordinari curavit, erit quidem validè ordinatus; cum natura unius ordinis, & gradus ab alio sit omnino discreta, nisi agatur de Episcopo ordinato, qui necdum fuisset Sacerdotio initiatus, utpotè quòd Episcopatus veluti summa Sacerdotii sit, & sacerdotalem potestatem in suscipiente necessariò prærequirit; interea tamen quicumque per saltum promotus ab ordine per saltum suscepto (non tamen à cæteris antea ritè susceptis) suspenditur, donec peracta pœnitentia in eo gradu, quem transiit, initietur, & deinde in superiorem, ad quem pridem ascendit, admittatur, can. 1. dist. 52., cap. un. de Cler. per salt. prom. Quæri in hanc rem solet, an suspensionis poena immincat ipso jure, an potius sententia iudicis sit inferenda. Abiit, fautor, in vulgarem traditionem, ex qua consuetudo invaluit, ut ipso jure imminere censura dicatur; quamobrem tutius ager, qui ab officio absteinebit, ne irregularitate notetur etiam ante iudicis sententiam. Verùm quoties ad jus scriptum sententia exigatur, fortè in aliam opinionem inclinare oporteret; siquidem in dicto can. 1. dist. 52., & in dicto cap. un. de Cler. per salt. prom., nihil aliud adparet, quam per sententiam Episcopis suspendendum esse ordinatum; aliàs autem verum est, censuras ipso jure latus non præsumi, sed debere de illis expressè constare. Vulgaris traditionis fundamentum passim collocant Pragmatici in cap. 14. sess. 23. de Reform. in Concilio Tridentino, in quo tamen ego nihil singulare constitutum invenio. Ajunt Tridentini Patres: *Cum promotus per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex le-*

gitima causa possit dispensare. Num igitur dispensandi verbum supponit illatam ipso jure suspensionem? Meo iudicio non solum accommodari potest suspensioni ipso jure illatæ, verùm etiam illatæ ab homine, ut aquè sumatur, ac nomen ab solutionis; unde in Tridentino Concilio sess. 24. cap. 6. de Reform. dicitur, licet Episcopis in irregularitatibus, & suspensionibus dispensare. Eodem ferè modo in cap. 8. de tempor. ordinat. dicitur *consequi restitutionis gratiam*, qui officio iudicis erant suspensi. Quod autem addiderunt Tridentini Antistites in dicto cap. 14., non posse Episcopum dispensare, quoties Clericus ministraverit, pertinet id ad notam irregularitatis quam ex generali disciplina incurrit Clericus, qui sive abs jure, sive ab homine suspensus nihilominus in ordine suo ministrat, uti infra observandum erit, juxta cap. 1. de sentent. & re iudic. in 6., & caput 1. de sent. excom. in 6.

Execrabilis est illorum ausus, qui ordine non initiati officia ordinis exercent, utpotè qui sacram Hierarchiam à Christo institutam recta contemunt, ac violant. Adversus istos graves constitutæ sunt poenæ, ita ut si agatur de Sacramentis Eucharistiae, aut Pœnitentiae à non Sacerdote administratis, locus fieri possit inquisitioni adversus administrantes, quasi adversus hæreticos, aut saltem de hæresi valdè suspectos. Generaliter autem in omnes non ordinatos ordinem exercentes indicta fuit poena irregularitatis, cap. 1. & 2. de Cler. non ordin. minist. Nonnulli extiterunt, qui putarent, hanc irregularitatis notam solis Clericis in minore gradu constitutis, & majoris ordinis officia exercentibus iniurj; non laicis, ex eo quòd Gregorii IX. titulus de Clerico non ordinato ministrante scribatur. Verùm ut omitam, in antiquis Decretalium collectionibus ante Gregorianam, imò & in aliquibus MSS. Codicibus Gregorianæ ipsius collectionis legi de non ordinato ministrante, ideo fortè in vulgatis Gregorii IX. Codicibus

bus de Clerico specialis fit mentio, quia crimen illud frequentius à Clericis, quam à laicis admittitur. Ceterum in cap. 1. eod. tit. generalis est definitio, per vocem *ti quis*, quæ æquè ad laicos, atque ad Clericos refertur; & disciplina ecclesiastica ex verbis potius canonum eruenda est, quam ex inscriptione titulorum. Itaque irregularis erit, quicumque ordinem exercuerit non ordinatus. Qua in re observandum est, aliqua esse divina officia, quæ non nisi ab ordinatis peraguntur solent, uti sacræ Eucharistiæ confectio à Sacerdote, ministerium altaris à Diacono, confirmationis, & ordinis collatio ab Episcopo; aliqua è contrario esse, quæ ab ordinatis ex officio fiunt, ab aliis aut ex dispensatione, aut ex consuetudine quasi in supplementum, & non tanquam ordinis exercitio, uti est ostia Ecclesiæ claudere, aperire, sacras litteras in Ecclesia legere, præparare vasa sacra ad sacrificium, & similia. Item observandum est, aliqua esse officia, quæ quidem ex ordine sacro pendent, veluti ea, quæ sine ordine sacro aut non ritè, aut inaniter exercentur; interea tamen, ut ritè fiant, aut validè, non sufficit, administrum ordine sacro initiatum esse, sed requiritur præterea, ut administer certa jurisdictione polleat; eujusmodi sunt administratio solemnis Sacramenti baptismatis, Eucharistiæ ad infirmos delatio, Unctio infirmorum, quæ à solis Parochis, aut aliis curam animarum habentibus fiunt; item absolutio à peccatis extra casum necessitatis, quæ præter ordinem sacerdotalem certam jurisdictionem in ministrante requirit; item sacri ordinis, aut confirmationis collatio, quæ Sacramenta ut conferantur, non sufficit, ut Episcopus sit, qui ministrat, sed requiritur, ut subditis suis, & in sua diocesi existentibus Episcopus conferat. Pœna irregularitatis tùm demùm locum habet, cùm agitur de iis, quæ à solis ordinatis exerceri possunt, & ab eo exercentur, qui non est ordinatus. Hujusmodi est solemnis baptismi collatio ab

eo facta, qui nec Diaconus est, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis collatio; sicut & benedictio conjugii, & sacramentalis peccatorum absolutio ab eo facta, qui Sacerdos non est, Diaconicum ministerium ab eo præstitum, qui non est Diaconus, aut ministerium minorum ordinum ab eo præstitum tanquam ordinis exercitio; & quasi ab ordinato, qui tamen non sit ordinatus, & denique collatio Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis ab eo facta, qui non est Episcopus, vel in qua parte episcopali privilegio non gaudet. At si agatur de Sacerdote nullam jurisdictionem habente, & sacramentaliter absolute; si de Sacerdote non Parocho, vel cura animarum destituto, infirmis Eucharistiam, vel Extremam Unctionem ministrante, nuptiis benedicente, vel baptizante solemniter, nullibi inflicta in eum pœna irregularitatis adparet, quamquam gravissimè ob abusum sacrorum sit Episcoporum arbitrio coercendus. In Clementina 1. de privilegiis adversus religiosos, Sacramentum Extremæ Unctionis, vel viaticum Eucharisticum ministrantes, aut nuptiis benedicentes indicata fuit pœna excommunicationis ipso jure incurrendæ, à qua non nisi ab Apostolica Sede absolutio speraretur. Quod ad matrimonii benedictionem attinet, aliquid innovavit Concilium Tridentinum in cap. 1. sess. 24. de Reform. matrim. vers. *Quod si quis*; nimirum voluit, ut Sacerdos quicumque sive regularis, sive sæcularis, qui non sit contrahentium Parochus, nuptiis benedicens, tandiù ipso jure suspensus maneat, quamdiù ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, non absolvatur. Ad hoc imminere quoque suspensionis pœnam ipso jure illatam adversus Episcopos, qui in aliena Diocesi sine licentia Ordinarii Pontificalia exercent, aut in sua diocesi constituti alienos Clericos ordinant sine mandato, Concilio Tridentino sess. 6. de Ref. cap. 5., & sess. 14. cap. 2.

Ut

Ut Clerici ritè ministrent, minimè sufficit, eos ordine initiatos esse, sed præterea requiritur, ut nullo censurarum vinculo teneantur; nam si aut excommunicati sint, aut suspensi, aut interditi, & ministrare nihilominus ausierint, deponendi sunt, atque ipso jure irregularitatem incurrunr, can. 6. & 7. caus. 11. quæst. 3., cap. 8. de dolo & contumacia, cap. 1. 3. 9. de Clerico excommunicato ministrante, cap. 1. de sententia & re judicata in 6. Quod de excommunicato dicitur, intellige non de minore, sed de majore tantum excommunicatione, cap. ult. de Cler. excomm. ministr., item de eo, qui sciens prudens se censura esse notatum nihilominus ministrat, non de ignorante, cap. 9. eod. tit. Cùm verò hæc pœna irregularitatis duplici de causa indicata fuerit, primò, ne censuræ ecclesiasticæ à Clericis contemnantur; secundò, ut sacro ordini major cultus accedat, faciliè in-

telligitur, non solum illam habere locum, quoties quis actus suscepti ordinis exercet, cùm jam sit censura innodatus, sed etiam cùm quis ordines suscipit, dùm majore excommunicatione tenetur, quòd in utraque specie æquè censura ecclesiasticæ violetur, argumento cap. 32. de sent. excomm., & cap. 6. de apostatis. Aliud sanè dicendum est de eo, qui, ne ad ordinationem accedat, prohibetur sub pœna excommunicationis utut ipso facto incurrendæ; hic enim contemnere quidem dicitur mandatum Ecclesiæ, non tamen contemnere censuram, cui tùm primùm subjacere incipit, cùm ordinatur; quamquam tamen ex alia causa fortè ab irregularitate non sit immunus, nimirum si ordinum furtivè susceperit, & quidem in ea specie, qua in furtivè ordinatos pœna irregularitatis indicitur juxta ea, quæ superius observavimus.



DIS-